Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatvs De Fiducia In Devm Plurimas Et Utilissimas pro vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones quascunque ingenti cum solatio & fructu ...

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 21. Dispositiones necessariæ ad voluptates animi percipiendas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50333

Visual Library

eſt, quod nec humana nec cœleſtia planè cognoſcantur niſi experientiâ ipsâ & fruitione; iſta verò cum admodum imperfecta ſunt & imbecilla, tametſi appareant magnifica, cito nauſeam & faſtidium ingenerant iis qui illa percipiunt, & perceptione eorundem naturam penitus cognoſcunt: Hæc verò è contra, quia perfecta ſunt, ſpiritualia & interiora, ipſius animæ ſubſtantiæ conformia, quo magis cognita, eò amantur ardentiùs; cognitis enim horum nullos in iis detegit defectus ſicut in aliis, ſed potiùs novas aperit perfectiones, quæ eorum deſiderium & amorem magis accendunt; illa cùm poſſidentur, contemptuì obnoxia ſunt, quia infirma & infida eſſe exitus opinione luctuoſior declarat: hæc contrà ſui æſtimationem augent in animis poſſidentium, quippe quæ vires ſuas & virtutem occultam in ſui fruitione manifeſtant incredibili cum ſuavitate.

§. XXI.

Diſpoſitiones neceſſariæ ad voluptates animi percipiendas.

VIs nunc ſcire quæ requirantur diſpoſitiones neceſſariæ iis qui deſiderant has paradiſi delicias prægustare? Dicam duobus verbis: verâ opus eſt & firmâ in Deum fiducia

cia

ciâ, qui ſanè promptior eſt ad conferenda in nos quotidie ampliora bona, quam nos ſimus ad recipienda; ille enim ſic iis abundat, ut videatur velle ſe exonerare ſi vaſa vacua inveniat, & capacia divinæ ſuæ liberalitatis & munificentiæ; id quod ipſe declaravit aliquando S: Tereſiæ & ante hanc, S. Gertrudi. Nemo unquam fuit præter JESUM Chriſtum Filium ejus, & fortaſſe Sanctiſſimam Virginem Deiparam Mariam, cujus capacitas reſponderet fœcundæ ejus beneficentiæ, ita ut recipere tantum gratiarum donorumque poſſet, quantum ipſe conferre paratus erat. Huic in Deum fiduciæ adjungo diſpoſitionem aliam ſimili modo neceſſariam nempe veram perfectamque abnegationem rerum ſenſibilium. Nam quamdiu in nobis ſupereſt affectus & propenſio ad terrena bona, complacentia in creaturis, amor proprius & vana noſtri ipſius æſtimatio, geſtare non poſſumus illud cœleſte manna: cujus dulcedo non percipitur, niſi ſeparata ſit ab omni alia, [illegible] amantem pura, illibata impermixta mentem oblectet. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus*, dicebat Deo David. Scitè in hanc rem quodam loco S. Auguſtinus comparat amorem noſtrum manui: putate amorem hominis, quaſi manum animæ, inquit, ſi aliquid [illegible]

tenet, aliud ſimul tenere non poteſt: hoc autem dico, quia qui amat ſeculum, Deum amare non poteſt: occupatam habet manum: dicit illi Deus: tene quod do, non vult dimittere quod habebat, ideo non poteſt accipere quod offertur. Velut ſi quis in mari naufragium paſſus manum utramque plenam argento habeat, quod dimittere nolit, ut oblatam tabulam aut porrectum funem apprehendat, nunquid neceſſe eſt, ut pereat unacum pecunia ſua? Hujus rei illuſtre exemplum ſuppeditat nobis Exodus, ubi notatur non prius Iſraëlitis à Deo conceſſum manna, quàm conſumpſiſſent omnem Ægypti farinam. Sed nihil addam amplius, jam tum de hoc argumento locutus ſum ſuprà, oſtendique pluribus fiduciam in Deo ita connexam eſſe renuntiationi atque abnegationi rerum creatarum, ut altera ſine alterâ eſſe non poſſit.

CAPUT III.

Tertius effectus Fiduciæ in Deum, Fortitudo inexpugnabilis.

§. I.

Summatim proponitur hic effectus.

TERTIUS Fiduciæ in Deum effectus eſt invicta quædam fortitudo animi qua